

stebant, donec sub Rege suo XIX Holoā in captivitatem à Sal-
 manassare deducerentur 2. Reg. XVII, 6. seq. : verum etiam ipse
 Salomonis filius *Roboamus*, cum regnum ejus esset confirmatum,
 legem DEI unā cum tribu *Juda* relinquebat 2. Chron. XVII, 1,
 postquam ambulasset *in viis Davidis & Salomonis per tres tantum*
annos cap. XI, 17. Extruebant enim excelsa, & faciebant *secun-*
dum omnes abominaciones Gentium 1. Reg. XIV, 23, 24. Et licet per
 Regem *Ægypti* ad incitas redacti se converterent, 2. Chron. XII, 6;
 parum tamen constans erat pœnitentia, ita ut *Abia Roboami filius*
 & in regno Successor dicatur ambulasse in omnibus peccatis Pa-
 tris sui 1. Reg. XV, 3. Atq; postea talis fuit rerum in populo hoc
 Judaico vicissitudo, ut per Reges quidem pios Religio interdum
 repararetur, mox vero sub impiis rursus ferè in totum opprimere-
 tur, ac Deus tandem, gravis idololatriæ pertæsus 2. Reg. XXIII,
 26, 27, *Nebucadnezarem* ad urbem Hierosolymitanam cum templo
 egregio totaqve terra devastandam, regnante Rege XX Zide-
 kia, mitteret, quemadmodum sub *finem libri 2. Regum* docetur.
 Horrendum idololatriæ excessum graphicè describit *Jeremias* plu-
 ribus locis, ut *cap. II, 9. seq. cap. XI, 12. seq.* Duravit devastatio
 illa atqve captivitas LXX. annis, quā solutā Hierosolymis verus
 DEI cultus reparatus fuit, procurantibus *Esdra, Nebemia, Pro-*
phetisqve post-Babylonicis, quorum scripta inter sacras literas su-
 persunt. Sed neqve illa felicitas diuturna fuit, cum successu tem-
 poris *Scripturæ Interpretes* à veritate recederent, sensum ipsius
 juxta sua cordis figmenta depravantes, eorumqve discipuli statuta
Magistrorum tanquam Divina venerarentur, adeo, ut tempore ex-
 hibiti Christi, qui ad justum remedium tanto malo præscribendum
 in textu nostro *Jobanneo Scripturarum scrutinium* seriò commen-
 dat, *dogma S. S. Trinitatis ac Messie* tam veræ Deitatis quàm in-
 carnationis a Sectarum tum temporis florentium asseclis ignorare-
 tur, prout ostendit disputatio *Christi cum Judæis Matth. XXIII,*
41. seq. Joannis X, 33. & nostro cap. V, v. 18. Quam absurda por-
 ro istis hominibus visa sit *redemptio mundi per passionem Messie* ne-
 cessariam, colligi potest ex *Matth. XVI, 21. 22. Luc. XXIV, 19, 20, 21.*
1. Cor. I, 23. Quam perversè legi per operis laltem externi *im-*
pletio.